



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Chronologia Monasteriorum Germaniæ Præcipuorum Ac Maxime Illustrium

Brusch, Kaspar

Nürnberg, 1682

Heckenbachium, antiquitus à loci sentibus oppleti asperitate, hodie vero
Heppach/ ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-38166

Valedictorium ad eandem Barbaram.

*Barbara, delitiis facundæ prædita linguae,
Mella Hyblea pio cuius ab ore fluunt.
Barbara, gentis honos nostræ, quæ tam mihi chara es,
Quam mea chara mihi mater amica fuit.
Salve perpetuoq; vale, charissima amitta,
O ingens animi curaq; spesq; mei.
Quam stabit mons iste diu, cui Gratia nomen
Sancta dedit: stabit quam domus ista diu;
Tam tu, chara, diu valeas, tam, Barbara, viuas
Et fausta & felix, incolumisq; diu.
Quando suas undas non amplius Ister habebit,
Et madidis Rhenus forte carebit aquis,
Tum te dira pericla, aut mors premat atra, nec unquam
Te citius mala fors obruat ulla. Vale!*

MECKENBACHIUM, antiquitus à loci sentibus op-
pleti asperitate, hodie vero Zeppach/ paululum ab-
breuiata voce, Cistertiensis sive Bernhardini instituti
monialium præclarum cœnobium, Constantiensis dice-
ceseos sub Salemitani Abbatis cura ac visitatione, medio fere
itinere inter Ochsenhusium cœnobium & Biberacum civitatem
imperiale situm, cœptum & inchoatum est annum Domini
circa 1233. sub Romanæ Ecclesiæ Pont. Max. Gregorio IX.
Pontificatus ejus anno 8. à piis ac religiosis duabus Beginis, qua-
rum una ex nobili gente regulorum de Rosenburg, altera ex
Laudenbursensi familia nata fuit. Ad has duas mox aliæ etiam
accesserunt plurimæ, & inter has quinque Nobiles, quæ parenti-
bus suis tam diu insisterunt, donec eos persuaderent, ut domici-
lia ipsis construerent. Inchoabatur vero cœnobium aliquoties
in pago Maselheim, sed ligna & saxa, futuro ædificio præparata, *Masel-*
semper in eum locum mirabili quodam prodigio rediisse dicun- *heim.*
tur, in quo nunc monasterium constructum visitur. Templum
S. Pancratii dicatum est. Ejus primum lapidem posuerunt su-
pra-

prædictæ nobiles Virgines; loci hujus totius inchoatrices. Privilegia dederunt Gregorius IX. Pont. Max. & Fridericus II. Imperator: fuitque cœnobium tam opulentum olim ex liberalitate undiquaque conferentium piorum, ut alerentur in eo solo centum & viginti Deo famulantes Virgines. Cum autem, Wilhelmo Imperatore rebus humanis exempto, interregnum esset & Imperium sine gubernatore, æstuaretque civilibus bellis tota fere Germania, factum est, ut hoc etiam monialium cœnobium incendiis & rapinis devastaretur & ad tantam redigeretur paupertatem, ut Virginibus omnibus domum esset ad parentes redeundum, quæ tamen post 20. annos pacato imperii statu iterum per Imperatorem Rodolphum Habsburgium ad pristinum locum reverfæ: collapsum monasterium, auxiliis nobilium regulorum à Boustetten, à Freiburg, Wiler & Ellerbach, Dapiferorum item à Walpurg aliorumque plurium (qui sepulchra sibi ac posteritati suæ legebant in hoc templo) præclare instauratum ac meliori formæ (quam pristina fuerat) restitutum est. Ab eo tempore ad hanc usque nostram ætatem præfuerunt Abbatissæ, quarum sequuntur subscripta nomina.

Abbatissarum
Syllabus.

1. *Irmengardis* præfuit anno Domini 1280. Sed quamdiu postea adhuc, id incertum est.
2. *Elisabetta Hofmannin* legitur successisse Dominæ Irmengardi, & adhuc ad clavum suæ societatis monasticæ sedisse anno 1350.
3. *Clara Strelerin*, patria Ulmenfis, præfuit anno Domini 1364.
4. *Catharina à Stadion*, nobilis Domina, successit Claræ, sed quam diu sororibus præfedit, ignoratur.
5. *Anna Gretterin*, Bibracensis, legitur omnia fecisse communia, cum antea cuique sororcularum propriæ facultatule fuissent. Evocata est ex hac miseriarum & lachrymarum valle ad gaudiorum cœlestium patriam anno Domini 1438.
6. *Agatha*, nobilis virago de Stadion, præfuit post defunctam D. Annam 16. annis. Cogitavit de claudendo prorsus monasterio, ad quod omnia jam adornarat necessaria, sed morte præ-

præventa, quod fecum decreverat, non absolvit. Obiit anno 1454.

7. *Elisabeta Kralina*, patria Lindaviensis, ex Imperiali elegantissimoq; oppido ad Acronium lacum sito nata, successit Dominæ Agathæ. Præfuit laudabiliter 26. annis. Clausit monasterium propria manu, etsi ægotissima & peste laborans, qua tamen victa superstes adhuc mansit post clausum cœnobium annis 12. Clausit vero in die S. Egidii anno Domini 1467. Obiit postea anno incarnati Verbi 1480.

8. *Anna Suterina* ex Bracoduro vel Pfullendorffio patre consule nata, religiosa & mansuetissima Domina, eligitur anno Domini 1480. Præfuit 29. annis. Decessit anno Christi 1509.

9. *Anna Koboldina*, patria Ulmensis, subrogatur Agneti. Præfuit honeste & religiosissime annis sex, Evocatur ex hoc seculo anno Gratæ 1515.

10. *Barbara Ellenbogina*, Memmingensis, præfuit 11. annis pie, prudenter & utiliter. Obiit anno Domini 1526.

11. *Walburgis Pitterlerin*, patria Ulmensis, præfuit optimis vitæ & morum exemplis per septennium ferè. Obiit anno 1532.

12. *Margareta Capitanea*, patria Constantiensis, successit Walburgi. Fuit religiosa admodum & mansueta Domina. Præfuit laudabiliter & ipsa per septennium. Obiit anno Incarnationis Dominicæ 1539. ætatis suæ 43.

13. *Veronica vel Berenice Kralina*, ex Thettango Montis fortis Comitum Algovico oppido nata, eligitur unanimi fororum omnium consensu anno Domini 1539. Præsudet laudabiliter & utiliter adhuc XLVI. sororibus, non Germanas tantum, sed & latinas literas mediocriter callentibus, hoc currente Jubilæo, ætatis suæ anno 63. domina mansueta & pia, quæ his ipsis penè latinis verbis (quibus utor) mihi dicebat: Navigasse se diu equidem per turbulentum hujus mundi mare, sed jam penè pervenisse ad portum salutis vitæq; per Christum præparatæ sempiternæ.

Moniales eruditæ.

Hh

HERE-

Chronologia
monasterio
S.M